



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 69. Capitulum 19num, de manifestis culpis Visitatori denunciandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

*De publicis Defectibus, & Transgressionibus Visitatori denuntiandis.*

### CAPITULUM XIX.

**LXIX.** **M**inistri publicos defectus, & transgressiones Fratrum, & Sororum Visitatori denuntient punienda. Si verò quis incorrigibilis inveniretur; post trinam admonitionem debito tempore à Ministris factam, de Discretorum Fratrum aliquorum consilio, Visitatori denuntietur, ex Ordine, & Fratrum aliorum societate eliminandus, quod (ut omnibus palam de ejus eliminatione constet) in sequente Congregatione publicabitur.

*Capitulum hoc per se clarum est, Statutis non indiget. Quod in prædictis omnibus nemo ad culpam mortalem obligetur.*

### CAPITULUM XX.

**LXX.** **C**æterum in præmissis omnibus, ad quæ Fratres Ordinis vestri, non vi Statutorum Ecclesiæ, vel Mandatorum Dei tenentur, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari; sed impositam sibi à Superioribus pœnitentiam pro transgressionis excessu quisque humiliter acceptet, & efficaciter studeat adimplere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si verò quis id attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Reate 16. Kalend. Sept. Pontificatus nostri anno 2.

### STATUTA CAPITULI XX.

**D**enique pro securitate conscientiarum, quiete animarum, sedatione scrupulorum, dilatazione cordium, Ordinis Tertii

de Pœnitentia incremento, & observantia meliore hujus Regulæ summus Pontifex *Nicolaus IV.* & reliqui Pontifices ejus Successores usque in hodiernum diem dicunt, & unanimiter declarant: quod in transgressione hujus Regulæ, Præceptorum, & Statutorum nolint Professores ejus ad culpam mortalem obligatos esse; nisi aliàs ex Præceptis Dei, aut Ecclesiæ obligentur; sed tantum, ut recipiant, & humiliter adimpleant Pœnitentiam pro Regulæ transgressionibus injunctam. Nec his contradicunt verba Professionis, quibus dicunt: *Voveo, & promitto Deo omnipotenti. &c.* Quia hoc non est vorum strictum, & in rigore, sed quoddam Propositum firmum observandi Mandata Legis Divinæ, ad quæ observanda omnes Fideles adstringuntur; & per hanc Regulam nihil ei additur. Id enim expressè Pontifex dicit in hoc ultimo Capitulo, declarans voluntatem, & intentionem suam. Eademque fuit voluntas & intentio Seraphici Patris nostri; hanc ipsam tenent Prælati Ordinis, ipsæque (qui ad Professionem admittit) sic sentit; qui etiam moneat Pœnitentem, ut eandem habeat intentionem, non subjiçendi se ipsum novæ obligationi alicujus peccati. Vide dicta ad Capitulum 2.

Hæc sunt Statuta pro Tertiariis sæcularibus utriusque sexûs disposita, excerpta ex Speculo Seraphico; sùntque eadem illa, quæ sua Sanctitas *Innocentius XI.* in Brevi; *Ecclesia Catholica.* specificè confirmavit, & *Innocentius XII.* observari præcepit in Rubricis particularibus Breviarii Franciscani. n. 181. sicque hodie in omnibus Hispaniæ & Italiæ partibus accuratè observantur; quantumvis extra has regiones non tam strictè sint in usu.

F I N I S

Regulæ & Statutorum Tertii Ordinis de Pœnitentia nuncupati,

CON-